

anteponitur: licet non ipse sed Cedor-  
 laomer esset author & caput belli vt se-  
 quitur ver. 5. *Arioch* rex Ellasar, Hiero-  
 nymus *Ponti*, parum verisimiliter, cum  
 Pontus procul nimis Septentrionem  
 versus absit à terra Sinear: Aliqui *Ponti*  
 pro *Helleponti* regem dictum volunt,  
 qui cum exercitu venerit in auxilium  
 aliorum regum, quod inter se confæde-  
 rati essent. Cedor-lahomer rex Elam,  
 id est, Persidis: Elam filius Sem pater  
 Elamitarum, qui sunt Persæ. cap. 10. 21.  
 & *Thideal* rex Gouim, id est, gentium,  
 quod videtur nomen proprium pro-  
 uinciæ fuisse: Ciliciam aliqui putant,  
 alii gentium regem dictum volūt quod  
 ex variis populis collectaneum exerci-  
 tum haberet, vel quod regnum eius va-  
 riis gentibus constaret. Apud *Eusebium*  
 Alexander historicus vocat hos reges  
 Armenios, qui bellum Phœnicibus fe-  
 cerint. Rectius Iosephus Assyrios, quia  
 tunc Assyriorum præcipua erat poten-  
 tia. Assur quoque & Elam fratres fue-  
 rant, vnde reges cognatos & socios  
 fuisse apparet. *Siqueras*: Vnde tot re-  
 ges, tot populi, tanti exercitus, non  
 multo post diluuium, viuentibus ad-  
 huc tribus Noæ filiis totius generis hu-  
 mani parentibus. *Respond.* Abierant  
 iam à diluuiio anni circiter 436. Quid-  
 ni vero diuina benedictione Noæ pro-  
 missa, potuerit genus humanum intra  
 tantum tempus valde dilatari, cum au-  
 diuerimus Nimrodum multo etiam  
 maturius constituisse regnum Babel:  
 ibiq; linguarum & populorum factam  
 diuisionem fuisse. Nec tamen imagi-  
 nemur nobis magnos monarchas aut  
 reges, quales successu temporis cœpe-  
 runt esse, sed reguli seu principes erant,  
 qui ciuitatem vnam vel paucas cum ali-  
 quanta hominum multitudine suo im-  
 perio tenerent. Tales Pentapolis pro  
 numero ciuitatū quinque habebat re-  
 gulos Et videtur exercitus quatuor re-  
 gum nō fuisse multorū millium, quem

A Abram cum trecentis & octodecim  
 vernis aggredi & profligare potuit.

2. FECERVNT BELLVM CON-  
 TRA BERA. Moles quinque reges  
 vocat principes quinque ciuitatum in  
 planicie Iardenis, quæ non multo post  
 annis 15. circiter cœlitus incendio ab-  
 sorptæ interierunt, Bela seu Zoar exce-  
 pta, quæ per fugio Loti seruata cap. 19.  
 Cur bellum isti illis fecerint liquebit  
 ver. 4.

3. OMNES ISTI CONIUNCTI  
 B SVNT. Per *עבלן* locus prælii desi-  
 gnatur: Vallis *Siddim* à planicie agro-  
 rum dicta, à *טו* contundere, est *טו* id  
 est, agri contusi æquatis glebis. Plani-  
 tiem ergo late protensam ad Iardenem  
 prælio committendo opportunam ca-  
 strametationi delegerant reges. Vetus:  
*In vallem syluestrem.* Hieronymus *val-  
 lem salinarum*, quia, vt sequitur ver. 10.  
 abundabat pureis salis & bituminosis  
 in quos post incendium vrbium aquæ  
 confluentes paludem effecerunt lacum  
 C Asphaltis seu Asphaltidem: qui anare  
 salis & salsum, & mortuum est dictus,  
 quia in aquis fœdis & crassis ne pisces  
 quidem viuere potuerunt, imo volu-  
 cres transuolantes fœtidis exhalationi-  
 bus necabantur.

IPSA EST MARE SALIS. In-  
 telligit Moles suo tempore pro valle  
 fuisse mare salis, id est salissimum, vr-  
 bibus vallis incendio cœlitus absorptis.

4. DVODECIM ANNOS SER-  
 VIERANT. Belli causa fuit rebellio  
 D Sodomæorum aduersus Cedorlaomer  
 Elamitarum regem, à quo fuerant in  
 seruitutem subacti. Seruierant ei, hoc  
 est, tributarii fuerant annis XII. Ex con-  
 sequente intelligitur antecedens, præ-  
 cessisse aliud bellum, quo Cedorlaomer  
 Pentapolitanos regulos oppresserat:  
 cuius Iosephus mentionem facit. Fuerat  
 haud dubie iniustum bellū quo-  
 ad regem oppressorem, quippe mera  
 domjnandi libidine illatum: si tamen

III.

IV.

Locum belli.

VVV specte-